

## TRIBUNAL SUPRÊME DE LA SIGNATURE APOSTOLIQUE<sup>1</sup>

*Prot. n. 49 921/14 CA — N. — Dimissionis  
(X – Congregatio pro Institutis vitæ  
consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ)*

### SENTENTIA DEFINITIVA

- [1] IN NOMINE DOMINI. AMEN.  
FRANCISCO PP. feliciter regnante,  
Pontificatus sui anno IV, die 17 iunii  
2016, Supremum Signaturæ Apostolicæ  
Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.  
mis D.nis Dominico Card. Mamberti,  
Præfecto, Leonardo Card. Sandri atque  
Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao  
Zvolenský, Henrico Mussinghoff,  
Ponente, et Antonio Stankiewicz,  
atque intervenientibus Cl.mo Tobia  
Krogner-Kornalik, utpote Rev.di  
Recurrentis Advocato-Procuratore,  
Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona  
Congregationis pro Institutis vitæ conse-  
cratæ et Societatibus vitæ apostolicæ,  
atque Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M.,  
Promotore Iustitiæ Substituto, hanc defi-  
nitivam tulit sententiam.

- [2] **I. FACTI SPECIES**  
Rev.dus N, die 23 iunii 1966 natus,  
anno 2007 in novitiatum Abbatiae Y  
Congregationis Z ab W, ingressus est et  
iam die 22 septembris 2009 ordinationem  
sacerdotalem recepit.

---

1 Traduction publiée avec le *nihil obstat* du TSSA. — Traduction française par Emmanuel Vaillant. Le traducteur remercie M<sup>me</sup> Anne Bamberg pour sa relecture. — La numérotation marginale des paragraphes (entre crochets) a été ajoutée par la rédaction pour les besoins du commentaire.

- [3] Die 1 septembris 2010 ab Em.mo Archiepiscopo P ad officium moderatoris parœciæ R dicatæ in pago Q nominatus est. Iam munere fungens, dein die 2 septembris 2012 professionem perpetuam in Abbatia Y emisit.
- [4] Duabus tantum hebdomadis post incorporationem definitivam in Abbatia, die scilicet 17 septembris 2012, quidam Cl.mus vir Rev.dum X ob delicta patrata erga filium suum, vigesimum secundum annum agentem, sive apud publicæ securitatis custodes sive apud Rev.mum Abbatem denunciavit. De re certior factus, Rev.mus Vicarius generalis Archidioecesis P Rev.dum X die 24 octobris 2012 ab officio amovit.
- [5] Rev.dus X die 1 decembris 2012 indultum absentiaë ad annum obtinuit, habitationem privatam in civitate P adiit, die 16 decembris 2012 condicionibus in conventionem, inepte nomine v.d. *Exklaustrationsvertrag* tecta, determinatis.
- [6] Rev.mus Abbas Y Rev.do X die 8 iunii 2013 intimavit ut intra diem 30 iunii 2013 domum parœcialem desereret, omnibus rebus mobilibus eius ad domicilium in civitate P translatis. Eodem tempore eum regressum in Abbatiam Y vetuit.
- [7] Terminum frustra elapso, Rev.mus Abbas Y die 11 iulii 2013, de consensu consilii, instaurationem processus dimissionis decrevit et Rev.do Recurrenti admonitionem canonicam ob pertinacem inobœdientiam in materia gravi misit, quam die 29 iulii 2013 iteravit, expresse prorogato termino ad diem 15 augusti 2013.

- [8] Tandem die 9 augusti 2013 Rev.dus X tantum ipsam habitationem parochi liberavit, parte rerum privatarum antea in eiusdem hospicio deposita. Rev.mus Abbas Y de consensu consilii die 20 augusti 2013 decisionem tulit constare de incorregibilitate Rev.di Recurrentis et litteris diei 28 augusti 2013 a Rev.mo Abbate Præsidi dimissionem Rev.di Recurrentis ab Instituto exquisivit.
- [9] Rev.mus Abbas Præsides die 9 septembris 2013 collegialiter cum suo consilio ad normam can. 699, § 1 decisionem tulit Rev.dum X ab instituto dimittendum esse. Erronee tamen die 13 septembris 2013 a Congregatione pro Clericis confirmationem dimissionis expetiit.
- [10] Petitione pro competentia ad Congregationem pro Institutis vitæ consecratæ et societatibus vitæ apostolicæ transmissa, Rev.dus Subsecretarius die 28 octobris 2013 ab Abbate Præsidi completionem processus dimissionis et exhibitionem documentorum, de quibus in cann. 699, § 1 et 700, præsertim decretum dimissionis, postulavit.
- [11] Anno absentiae interdum elapso, Tribunal civile die 6 decembris 2013 Rev.dum X ad detrusionem in carcerem condemnavit, adversus quam sententiam ipse appellavit.

- [12] Die dein 27 decembris 2013 decretum dimissionis ab instituto a Rev.mo Abbate Præsidente latum est, quo decreto a Congregatione pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ die 8 februarii 2014 ad normam can. 700 confirmato et die 21 martii 2014 notificato, Rev.dus X die 25 martii 2014 adversus dimissionem insimul sive ad Congregationem pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ sive ad hoc Supremum Tribunal provocavit.
- [13] Die 21 iulii 2014 res Rev.di X de eius consensu definitive e complexu domus parœcialis ad Monasterium Y translatae sunt.
- [14] Decreto diei 30 septembris 2014 (prot. n. 42654/2013) Congregatio pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ recursum hierarchicum adversus dimissionem ab instituto reiecit. Quo decreto die 13 octobris 2014 notificato, Rev. dus X die 12 novembris 2014 recursum ad hoc Supremum Tribunal interposuit.
- [15] Die 28 iulii 2015 Tribunal civile appellationis pœnam carceris paululo reduxit.
- [16] Disceptatione inter Cl.mos Partium Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiæ Substitutum rite peracta, Em.mus H.S.T. Præfectus recursum in Congressu die 18 septembris 2015 habito ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus admisit. Dubium die 23 septembris 2015 concordatum est adhibita formula :

- [17] An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vita apostolicæ die 30 septembris 2014 latum.
- [18] Re iterum rite inter Cl.mos Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiæ Substitutum discussa, Nobis nunc respondendum est dubio concordato.

## **II. IN IURE ET IN FACTO**

### **A. PRÆMISSIS DE DOMO PARŒCIALI**

- [19] Parœcia R dicata in pago v.d. Q cum bonis temporalibus suis inde a novem sæculis ad Abbatiam Y pertinet et ei hucusque incorporata est. Merito ergo Rev.mus Abbas Præses competentiam immediatam Rev.mi Abbatis Y et monasterii eius pro domo parœciali in memoriam revocat, quæ domus parœcialis complectitur officium parœciale, habitationem privatam parochi, habitationem hospitis (et duas alias habitationes).

### **B. DE ASSERTA LEGIS VIOLATIONE IN PROCEDENDO**

- [20] Rev.mus Præses Congregationis T erronee ante Congregationem pro Clericis obiectum petitionis die 13 septembris 2013 determinavit. Error iste solutus est : Rev.mus Abbas Præses una cum consilio die 9 septembris 2013 decisionem tulit Rev.dum X ob inobœdientiam in materia gravi, de qua in can. 696, § 1, dimittendum esse, quod die 27 decembris 2013 rite decretum est, dum Congregatio pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ die 8 februarii 2014 dimissionem confirmavit.

Ergo concludendum est non constare de legis violatione in procedendo.

**C. DE ASSERTIS LEGUM  
VIOLATIONIBUS IN DECERNENDO**

*1. De obiecto præcepti*

- [21] Can. 696 § 1 pronuntiat : « Sodalis dimitti etiam potest ob alias causas dummodo sint graves, externæ, imputabiles et iuridice comprobatae uti sunt:... pertinax inobœdientia legitimis præscriptis Superiorum in materia gravi ».
- [22] Cl.mus Rev.di Recurrentis Patronus censet Rev.mum Abbatem Y in monitionibus dierum 11 et 29 iulii 2013 nullam mentionem fecisse de vetito res mobilia transferendi in habitationem pro hospitibus, sed tantum liberationem habitationis parochi iussisse. Sed Rev.mus Abbas Y litteris diei 8 iunii 2013, ope cursus electronici missis, claris verbis iussit Rev. dum Recurrentem intra diem 30 iunii 2013 omnes res privatas e domo parœciali ad habitationem suam in civitate P transferre. Expressis verbis in præcepto vetita est translatio rerum ad alium locum intra territorium pagi v.d. Q.

[23] Rev.mus Abbas in prima monitione diei 11 iulii 2013, invocato voto obœdientiæ, dimissionem comminatus est, nisi Recurrens res suas e domo parœciali liberaret. Secunda admonitio diei 29 iulii 2015 similibus verbis redacta est. Rev.dus X in recursu hierarchico asseruit vetitum depositionis intra fines parœciæ v.d. Q expresse nec in prima nec in secunda admonitione inveniri posse. Rev.dus autem Recurrens minime conclusit, vetitum diei 8 iunii 2013 ablatum fuisse, cum in litteris diei 5 augusti 2013 ad Rev.mum Abbatem Y expressis verbis de illo vetito conquestus sit et in tertia et ultima admonitione diei 7 augusti 2013, vetitum diei 8 iunii 2013 expressis verbis confirmatum sit.

[24] Etiam iuxta minutas Consilii Abbatiae diei 20 augusti 2013 obiectum gravis obœdientiæ semper erat desertio totius domus parœcialis.

[25] Congregatio in impugnato decreto diei 30 septembris 2014 ergo merito utpote obiectum pertinacis inobœdientiæ permanentiam rerum privatarum in domo parœciali indicavit. Dein animadvertendum est Rev.dum X tantum clavem principalem domus parœcialis, minime autem clavem habitationis hospitis, restituisse.

[26] Rev.dus X igitur inepte argumentum adduxit, permanentiam rerum in habitatione hospitis esse novam causam dimissionis, adversus quam sese defendere non potuisset. Nec asseri potest permanentiam rerum in habitatione hospitis esse tantum circumstantiam secundariam.

2. *De legitimitate præcepti diei 8 iunii 2013*

[27] Præceptum diei 8 iunii 2013 statuit id, quod Rev.do X iam inde ab amotione ab officio moderatoris parœciæ notum erat et in casu nominationis novi parochi fere ubique terrarum praxis est, nempe ut prædecessor totam domum parœciale liberet (cf., ex analogia, can. 1747, § 1).

[28] In recursu ad Congregationem Rev.dus X conqueritur de illegitimitate præcepti utpote contrarium ad v.d. *Exklausurationsvertrag* diei 16 decembris 2012 cum validitate usque ad diem 30 novembris 2013. In iure vero canonico evidens est illam conventionem ad normam iuris civilis inter Rev.mum Abbatem et Rev.dum Recurrentem stipulatam cum voto obœdientiæ, iam iure universali et proprio determinato, pugnare. Ipse Rev.mus Abbas proinde in emanatione præcepti diei 8 iunii 2013 minime obligatus erat ad illam conventionem servandam. Præceptum ergo legitimum est.



### 3. *De asserto defectu materiæ gravis*

- [29] Quod de materia gravi actum est evincitur ex circumstantiis præcepti, scilicet ex investigatione publicæ securitatis custodum et dein e processu pœnali apud forum civile adversus Rev.dum Recurrentem inchoato. Rev.dus X delicta partim in territorio parœciæ v.d. Q, immo in habitatione hospitis patravit. Ad scandalum inter fideles parœciæ imminuendum necessarium erat, ut Rev.dus X res personales e loco principali delictorum, scilicet e tota domo parœciali, auferret.

### 4. *De asserta adimptione præcepti*

- [30] Rev.dus Recurrens per Cl.mum Patronum contendit se præceptum diei 8 iunii 2013 translatione suppellectilis e habitatione parochi ad habitationem hospitis et liberatione officii parœcialis diei 9 augusti adimplevisse. Hoc vero modo sive in præcepto diei 8 iunii 2013 sive in litteris Rev.mi Abbatis diei 7 augusti 2013 statutum vetitum depositionis suppellectilis intra fines parœciæ violavit. Præceptum ergo solummodo partim, scilicet liberatione habitationis et officii parœcialis, complevit.
- [31] Ipse quoque Rev.dus Recurrens fassus est se nec intra diem 30 iunii nec intra diem 21 iulii nec intra diem 9 augusti 2013, sed tantum die 21 iulii 2014, scilicet post annum, translationem suppellectilis e domo parœciali, permisisse. Quæ translatio suppellectilis minime a Rev.do X, sed ab Abbatia peracta est.

[32] Cum Rev.dus Recurrens præceptum diei 8 iunii 2013 ergo saltem integre non adimpleverit, ne disceptandum quidem erit de assertione Rev.di Recurrentis se Rev.mum Abbatem die 9 augusti 2013 de translatione rerum ad habitationem hospitis certiozem fecisse, quæ ceterum assertio cum litteris Rev.mi Abbatis Y diei 28 augusti 2013, quibus de defectu notitiarum conquerebatur, pugnat.

*5. De asserta impossibilitate  
adimpletionis præcepti*

[33] Cl.mus Patronus Rev.di Recurrentis die 8 iunii 2015 diiudicat præceptam translationem bonorum in parvam habitationem in civitate P ob insufficientiam et incertitudinem sustentationis impossibilem fuisse. Recurrens, e contra, sustentationem mensilem 2.000 € simul cum supplemento 921 € pro præcaventia et securitate sociali necnon assistentia medica accepit. Subsidium Rev.do Recurrenti datum absque dubio saltem conductionem depositi temporanei in proximitate habitationis in civitate P permisit.

*6. De libertate ministerii pastoralis successoris*

[34] Rev.dus X eiusque Cl.mus Patronus asserunt præceptum non respicere materiam gravem, quia permanentia suppellectilis in hospitio parœciali ministerio pastoralis minime præpedisset.

[35] Præfata autem assertio gravitatem præcepti minime abstulit, uti supra probatum est.

Non constare ergo concludendum est de assertis legum violationibus in decernendo.

**III. CONCLUSIO**

- [36] Omnibus in iure et in facto æque rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum præ oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent :
- [37] Negative, seu non constare de legis violatione in procedendo vel in decernendo relate ad decretum Congregationis pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ die 30 septembris 2014 latum.
- [38] Pro expensis iudicialibus necnon honorario Cl.mi Rev.di Recurrentis Patroni retineatur summa a Rev.mo Abbate Y apud arcam nummariam H.S.T. deposita. Congregatio pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ suæ Cl.mæ Patronæ congruum solvat honorarium.
- [39] Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romæ, e sede Supremi Signaturæ Apostolicæ Tribunalis, die 17 iunii 2016.

(Signati) Dominicus Card. Mamberti, Præfectus  
— Leonardus Card. Sandri — + Stanislaus  
Zvolenský — + Henricus Mussinghoff, Ponens  
— + Antonius Stankiewicz

Et notificetur. — Die 26 iulii 2016 —  
+ Franciscus Daneels, o.præm., archiepiscopus  
tit. Bitensis, secretarius — Henricus Giarnieri,  
Vices Notarii gerens